

Atqui donum perseverantiæ, secundum definitiones conciliorum et Patrum, est ex speciali gratia. Ergo. — Minor patet ex conciliis cit. Item ex eodem concil. Trid., sess. vi, can. 16, et ex Augustino, *de Dono perseverant.*, c. 2, n. 4, a quibus perseverantia vocatur « magnum Dei donum. » Et cap. 17, n. 41 : « Videte, inquit, a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ huic, quando voluerit, ipse det finem, quem si dat ante imminens lapsum, faciet hominem perseverare usque in finem. Sed mirabilior et fidelibus evidentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis... datur hæc gratia. »

4<sup>o</sup> Conjunctio gratiæ cum morte est proprius effectus specialis providentiæ, nempe prædestinationis; solis enim prædestinatis convenit, et nulli alteri. Ergo habetur per speciale auxilium.

*Petes* 1<sup>o</sup> in quo consistat istud speciale auxilium?

*Resp.* hoc auxilium non consistere in aliquo indivisibili, neque eodem modo omnibus dari, sed plura includere et intrinseca et extrinseca. Cum enim donum perseverantiæ finalis formaliter consistat in conjunctione gratiæ cum fine vitæ ex efficaci gloriæ intentione imperata, illam Deus singulari providentia variis modis procurat: quibuscumque accelerando mortem, ne cadant; aliis prorogando vitam, ut respiscant; aliis subtrahendo pericula et tentationes, aut eas temperando: quæ omnia pertinent ad auxilia extrinseca; aliis in periculis et tentationibus constitutis vires augendo, ut vincant et insuperabiliter atque indeclinabiliter stent in bono usque ad finem, et hæc pertinent ad auxilia intrinseca.

[*Petes* 2<sup>o</sup> utrum donum perseverantiæ finalis sit idem ac donum confirmationis in gratia.

*Resp.* negative; quia donum confirmationis in gratia dat non posse peccare sive mortaliter sive venialiter, secundum modum qui datur. Ad donum perseverantiæ finalis, remanente potentia peccandi, dat tantum non peccare mortaliter usque ad mortem: unde est commune omnibus præ-

destinatis, qui non recipiunt omnes donum confirmationis in gratia.] +

## DISSERTATIO IV

## DE ESSENTIA ET DIVISIONE GRATIÆ

D. Thomas, qq. 110 et 111.

## ARTICULUS I

*De essentia gratiæ.*

In hoc articulo, quæstio est præcipue de gratia habituali et sanctificante, quæ per antonomasiam appellatur gratia, per quam scilicet constituimur filii Dei et hæredes regni, ad quam reducitur gratia actualis, sicut dispositio ad formam et motus ad terminum, quæque ideo non constituit speciem distinctam a gratia habituali.

*Petes* 1<sup>o</sup> utrum gratia sit donum intrinsecum.

*Resp.* affirmative<sup>1</sup>. Est de fide decisum in concil. Trid., sess. vi, can. 11, contra Lutheranos et Calvinistas.

[Ibi legitur: « Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusâ gratiâ et charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur atque illis inhæreat, aut etiam gratiâ qua justificamur esse tantum favorem Dei; anathema sit. »]

Et patet ex Apost., I *Tim.*, iv, 14, dicente: *Noli negligere gratiam quæ est in te.* Et II *Tim.*, i, 6: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te.* Hæc materia redibit dum de justificatione.

1. Hic. q. 110, a. 1, o.

*Petes 2º* utrum gratia habitualis sit qualitas animæ.

*Resp.* Gratia habitualis est donum habituale permanens in anima, et ideo de genere qualitatis <sup>1</sup>.

Primam partem, quam ut probabiliolem elegerat concil. Viennense, Clementina de fide, definivit Trid., sess. vi, cap. 16, dicens: « Justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur. »

[In prædicta Clementina, lib. I, tit. 1, cap. unic., dicitur: « Quia, quantum ad effectum baptismi in parvulis, reperiuntur doctores quidam theologi opiniones contrarias habuisse, quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; aliis, e contra, asserentibus quod et culpa eisdem in baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, et, si non pro illo tempore, quoad usum: nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit, tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliolem et dictis sanctorum ac doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante concilio, duximus eligendam. » Juxta opinionem quam approbat concilium Viennense, gratia est in anima ut forma. Atqui forma est de genere habitus, ut dicitur in expositione hujus sententiæ. Ergo gratia est donum habituale. Unde a Tridentino fuit definitum quod in nobis inhæreat.]

Ratio est <sup>2</sup>. Deus non minus providet his quos diligit ad bonum supernaturale habendum, quam creaturis quas diligit ad bonum naturale habendum. Atqui creaturis naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam quæ sunt principia tam radicalia quam proxima actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad hujusmodi

1. Ibid., a, 2, o. — 2. Ibid.

motus, et sic motus quibus a Deo moventur sint creaturis connaturales et faciles, secundum istud, *Sap.*, viii, 1: *Disponit omnia suaviter*. Ergo multo magis illis quos movet ad consequendum bonum supernaturale æternum infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad æternum consequendum. Istæ autem formæ supernaturales sunt gratia et virtutes infusæ, gratia ut principium radicale operationum supernaturalium, virtutes ut principium immediatum.

Secunda pars etiam patet. Qualitas est habitus permanens difficile mobilis, disponens subjectum ut bene vel male se habeat in suo esse vel operari. Atqui gratia sanctificans est permanens, ut patet ex dictis; est difficile mobilis, quantum est ex se et suis principiis, nempe innixa influxu divino, et ex se importans inclinationem contrariam peccato, quod est ejus destructivum, licet per accidens, ratione status et subjecti, possit facile moveri; et tandem hominem de se indifferentem ad bonum et malum disponit ut bene se habeat circa divina. Ergo.

*Petes 3º* utrum gratia sanctificans sit participatio divinæ naturæ.

*Resp.* <sup>1</sup>. Gratia sanctificans est participatio divinæ naturæ, non moraliter tantum consistens in rectitudine voluntatis et imitatione sanctitatis et justitiæ Dei in suis operibus, sed etiam physica: non hoc sensu, quod per gratiam natura divina quoad essentiam communicetur homini; sed hoc sensu quod sit donum, a natura quidem divina distinctum, sed eam analogice et imperfecte imitans ac exprimens, juxta illud expressum S. Petri, epist. II, 1, 4: *Per quem (Christum) maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes nature.*

Ratio est. Per naturam divinam intelligimus id quod in Deo concipitur ut radix divinarum perfectionum et principium radicale divinarum operationum, scilicet seipsum intuitive videndi, seipsum amore beatifico diligendi, om-

1. Hic q. 110, a. 3 et 4, o; q. 112, a. 1, o.

nia extra se faciendi. Atqui gratia sanctificans hanc fontalem et primitivam Dei perfectionem physice imitatur et exprimit. Ergo. — Prob. min. Homo justus vi gratiæ sanctificantis radicaliter disponitur et propendit in Deum intuitive videndum, in ipsum amore beato diligendum, et ad omnia propter ipsum facienda. Insuper est radix virtutum infusarum, quæ sunt attributorum imagines et participationes. Ergo.

*Petes 4º* utrum gratia sanctificans distinguatur realiter a charitate.

[Durandus tenet distingui nomine tantum; Scotus, formaliter; quidam, virtualiter, ratione diversorum officiorum; Thomistæ, cum Angelico et pluribus extraneis, realiter. Cum his posterioribus, probabilius]

*Resp. affirmative 1.*

*Probatur 1º* autoritate. Apost., *Rom.*, v, 5, dicit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Per Spiritum autem intelligitur gratia per quam Spiritus sanctus habitat in nobis. Trid., sess. vi, cap. 7: « Renovatio interioris hominis fit per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. » Augustinus, *de Dono perseverantiæ*, c. 16, n. 41: « Gratia prævenit charitatem. » Ergo.

*Probatur 2º* ratione<sup>2</sup>. Charitas supponit gratiam. Ergo. — Prob. ant. Virtus supponit naturam sibi proportionatam. Unde, sicut virtus humana supponit naturam humanam, quam disponit in ordine ad finem naturalem consequendum, ita virtus supernaturalis supponit naturam elevatam ad esse supernaturale, quam disponit congruenter in ordine ad finem supernaturalem consequendum. — Subsumo. Atqui charitas est virtus supernaturalis, et esse supernaturale communicatur per gratiam, ut dictum est.

*Confirmatur.* Gratia est participatio divinæ naturæ; cha-

1. Hic q. 110, a. 3, o. — 2. Ibid.

ritas, participatio divinæ voluntatis. Atqui istæ participationes sunt distinctæ. Ergo.

Pro solutione objectionum, nota eosdem effectus non raro tribui in Scriptura gratiæ et charitati, non quod sint unus habitus, sed quia sunt inter se connexæ et ex natura sua inseparabiles, et utraque suo modo concurrunt ad justificationem.

*Petes 5º* in quo subjectetur gratia.

*Resp. 1* subjectari in ipsa essentia animæ, et non in aliqua ejus potentia; quia perfectio potentiæ est virtus activa, gratia autem non est virtus activa, sed aliquid prius virtute, ut diximus. Ergo.

*Confirmatur.* Per gratiam regeneramur in filios Dei. Atqui generatio prius terminatur ad essentiam quam ad potentias. Ergo.

## ARTICULUS II

### *Variæ divisiones gratiæ.*

Gratia ut sic theologice sumpta, prout de ea hic agimus, est « donum supernaturale gratis a Deo concessum creaturæ rationali intuitu meritorum Christi, in ordinem ad salutem æternam. »

[Dicitur « donum, » quod tenet locum generis. Dicitur « supernaturale, » ut distinguatur a donis naturalibus, quæ non nisi lato sensu gratiæ dicuntur. Non tamen per hoc excluditur certa dispositio rerum naturalium ex singulari providentiâ in ordine ad salutem; hæc namque est supernaturalis ex parte finis et principii. Dicitur « gratis concessum, » id est, nullo modo debitum, alioquin non foret gratia, ut dicit Apostolus, *Rom.*, xi, 6. Dicitur « creaturæ rationali a Deo concessum intuitu meritorum Christi

1. Ibid, a. 4, o.

in ordine ad salutem. » Per primas particulas, designatur subjectum seu causa materialis gratiæ; per sequentes, causa efficiens; per subsequentes, causa meritoria; per ultimas, causa finalis.]

Gratia sic sumpta dividitur 1<sup>o</sup> in *externam et internam*. Externa est quæ hominem intrinsece non afficit, sed extrinsece tantum, ut sunt lex divina, prædicatio Evangelii, miracula, exempla Christi et sanctorum, occasiones bene agendi providentia supernaturali præparatæ, occasiones peccandi ab eadem providentia remotæ: uno verbo, omnis effectus providentiæ supernaturalis ad salutem nostram ordinatus. Gratia interna est quæ hominem intrinsece afficit, sive hærendo, ut gratia habitualis et virtutes infusæ, sive interius movendo, ut sunt gratiæ actuales intellectus et voluntatis.

2<sup>o</sup> Gratia interna dividitur in *gratiam gratis datam et gratiam gratum facientem*. Gratia gratis data est quæ per se primo ordinatur ad salutem aliorum, gratia gratum faciens est quæ per se primo ordinatur ad salutem recipientis.

[3<sup>o</sup> Gratia gratum faciens dividitur in *habitualement*, quæ formaliter sanctificat et residet in essentia animæ, et *actualement*, quæ concurret efficienter ad justificationem.]

4<sup>o</sup> Gratia actualis dividitur in *operantem et cooperantem*. Hanc divisionem fundatam in Scripturis, conciliis et Patribus sic explicat S. Thomas hic, q. 111, a. 2, o: « Operatio alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectum in quo mens nostra est mota et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur, et secundum hoc dicitur gratia *operans*. In illo autem effectum in quo mens nostra movet et movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ, et secundum hoc dicitur gratia *cooperans*. » Pergit Angelicus applicando hanc distinctionem actibus internis et externis hominis: « Est autem in nobis duplex actus. Primus quidem interior voluntatis. Et quantum ad istum actum,

voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens, et præsertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat. Et ideo, secundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia *operans*. Alius autem actus est exterior, qui cum a voluntate operetur, consequens est quod ad hunc actum operatio attribuitur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum Deus nos adjuvat, et interius confirmando voluntatem ut ad actum perveniat, et exterius facultatem operandi præbendo, respectu hujusmodi actus, dicitur gratia *cooperans*. » Et hoc docet ex Augustino dicente et ex Scriptura probante, lib. *de Gratia et libero arbit.*, cap. 17, n. 33: « Ipse [Deus] ut velimus sine nobis operatur, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus, *Philipp.*, 1, 6: *Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu*. Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. »

Notandum tamen, certum esse quod voluntas ad illum primum actum non se habeat mere passive; est enim vitalis volitio boni, consequenter actus elicited a voluntate. Nec sequitur, voluntatem in hac prima volitione non esse liberam; ad hoc enim ut voluntas libere agat, non est necesse quod ex præcedenti actu se moveat, sed sufficit quod objectum proponatur sub indifferentia iudicii; tunc enim intervenit virtualis deliberatio. Confer quæ de hoc dicta sunt in tract. *de Angelis* et in tract. *de Actibus*.

5<sup>o</sup> Dividitur gratia, ex eodem S. Thoma, in *prævenientem et subsequentem*, per ordinem ad effectus priores et posteriores. Dicit enim hic, q. 111, a. 3, o: « Sicut gratia dividitur in operantem et cooperantem, secundum diversos effectus, ita etiam in *prævenientem et subsequentem*, qualitercumque gratia accipiatur. Sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis: quorum primus est, ut anima sanetur; secundus est, ut bonum velit; tertius est, ut bonum quod vult efficaciter operetur; quartus est, ut in bono persevere; quintus est, ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia,

secundum quod causat in nobis effectum, vocatur præveniens respectu secundi effectus, et prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens respectu primi effectus. Et sicut unus effectus est posterior uno effectu et prior alio, ita gratia potest dici præveniens et subsequens, secundum eundem effectum, respectu diversorum. Et hoc est quod Augustinus dicit in lib. *de Natura et Gratia*, c. 31, n. 35 : « Prævenit ut sanemur, subsequitur ut sani » vegetemur ; prævenit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur. »]

6<sup>o</sup> Gratia dividitur in *sufficientem* et *efficacem*. Sufficiens ad aliquid dicitur dupliciter : 1<sup>o</sup> simpliciter et ex omni parte, ita ut nihil aliud requiratur in quovis alio genere ; 2<sup>o</sup> secundum quid et in certo genere, ita ut nihil ulterius requiratur in isto genere, licet aliquid aliud requiratur in alio genere, ut fusius explicabitur infra. Per gratiam sufficientem hic non intelligimus eam quæ simpliciter et ex omni parte sufficit, sed eam quæ in suo genere, hoc est, in ratione potentiæ agendi, sufficit. Per gratiam autem efficacem intelligimus eam quæ hanc potentiam applicat ad actum. Huic notioni conveniunt variæ definitiones quæ de utraque circumferuntur. Gratia sufficiens est quæ confert facultatem bene agendi, efficax quæ præbet bonum usum hujus facultatis. Item, gratia sufficiens est quæ dat bonum posse, si velimus ; efficax quæ facit ut velimus. Item, gratia sufficiens est gratia possibilitatis, efficax gratia actionis. Et tandem, juxta Augustinum, gratia sufficiens est auxilium *sine quo non*, gratia efficax auxilium *quo*. Omnes coincidunt. Hæc est celeberrima gratiæ divisio, circa quam moventur gravissimæ difficultates, quas in sequentibus articulis elucidare conabimur.

### ARTICULUS III

*De gratia gratis data speciatim.*

[Petes 1<sup>o</sup> quid et quotuplex sit gratia gratis data.

*Resp.* Gratia gratis data ea est quæ per se primo ordinatur ad salutem aliorum. Definitur « donum Dei gratis collatum ad procurandam aliorum salutem, » secundum quod dicit Apostolus, I *Cor.*, xii, 7 : *Datur unicuique manifestatio Spiritus ad utilitatem, scilicet aliorum.*

Dixi « per se primo, » quia secundario potest conducere ad salutem recipientis, si ex charitate Dei et proximi ea utatur, sicut gratia gratum faciens potest secundario conducere ad salutem aliorum, per exempla virtutum.

Gratiæ gratis datæ novem species numerantur ab Apostolo, loco citato, scilicet : sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitarum, operatio virtutum, prophetiæ donum, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum. +

+ Petes 2<sup>o</sup> utrum conveniens sit hæc divisio.

*Resp.* affirmative. Et hoc probat S. Thomas<sup>1</sup> sequenti ratione, quæ etiam quid unaquæque harum gratiarum sit satis manifestat. Ad ædificationem corporis Ecclesiæ et ad aliorum salutem, tria requiruntur : 1<sup>o</sup> quod homo sit sortitus plenitudinem cognitionis divinatorum, et possit alios instruere ; 2<sup>o</sup> quod possit confirmare et probare quæ dicit, ut ejus doctrina sit efficax ; 3<sup>o</sup> ut ea quæ concepit possit auditoribus convenienter proferre. Hæc autem omnia in enumeratis gratiis inveniuntur. Ergo. — Prob. min. Quantum ad primum, tria sunt necessaria, sicut etiam patet in magisterio humano. Ut quis alium in scientia aliqua instruat, oportet : 1<sup>o</sup> ut principia illius scientiæ sint ei certissima, et quantum ad hoc ponitur *fides* ; 2<sup>o</sup> ut doctor recte se habeat circa principales conclusiones scientiæ, et sic ponitur *sermo sapientiæ*, cujus est ex altioribus principiis concludere ; 3<sup>o</sup> quod abundet exemplis et cognitione effectuum naturalium, ut invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciantur, ut dicitur *Rom.*, i, 20, et ad hoc ponitur *sermo scientiæ* ; nam scientia est cognitio rerum humanarum et naturalium. Quantum ad secundum,

1. Hic q. 111, a. 4, o.

ad confirmandas res fidei, quæ rationem excedunt, adhiberi debent quæ sunt divinæ virtutis propria, et hoc dupliciter: 1<sup>o</sup> faciendo quæ sola virtus Dei potest efficere in operibus miraculosis, sive particularibus, ad salutem corporum, et ponitur *gratia sanitarum*, sive generalibus, operando super totius naturæ ordinem, et ponitur *operatio virtutum*; 2<sup>o</sup> cognoscendo et revelando quæ solus Deus cognoscere potest: ad quod, si sint futura contingentia, ponitur *prophetia*; si sint occulta cordium, ponitur *discretio spirituum*. Quantum ad tertium, duo requiruntur: 1<sup>o</sup> ut qui docet, bene calleat linguam eorum quos instruit, et ad hoc ponuntur *genera linguarum*; 2<sup>o</sup> ut sensum verbi Dei, quod est quandoque occultum, explicet, et ponitur *interpretatio sermonum*. Ergo. †

Pro solutione objectionum, adverte sequentia: 1<sup>o</sup> Fides hic non sumitur simpliciter pro fide theologica, sed pro speciali intelligentia et eminenti certitudine quæ mentem interius firmat circa principia fidei, et quæ exterius in verbis se manifestans, ea reddit efficacia ad alios instruendos et confirmandos in fide. 2<sup>o</sup> Sapientia et scientia sunt dona Spiritus sancti, et pertinent ad gratiam gratum facientem, prout reddunt hominem aptum ut ad propriam utilitatem moveatur a Spiritu sancto circa veritates fidei; prout vero important habilitatem ad exponenda et evolventa mysteria fidei ad aliorum utilitatem, quæ facultas non cedit in proprium commodum nec est in omnibus justis, pertinet ad gratiam gratis datam. 3<sup>o</sup> Gratia sanitarum et operatio virtutum sunt quidem inter se affines, sed differunt: tum quia sæpe separantur; tum quia in prima præcipue elucet Dei benignitas erga miseriam hominum, in secunda vero magis apparet omnipotentia Dei toti naturæ imperans: tum quia prima allicit ad fidem per modum beneficii, secunda per modum prodigii quod virtutem Dei revelantis ostentat. 4<sup>o</sup> Character sacerdotalis, jurisdictio in foro interno et specialis assistentia Spiritus sancti Ecclesiæ concessa, non sunt gratiæ gratis datæ, sed pertinent ad operationem et ministracionem, quas Apostolus distinguit a gratiis gratis datis, dicens I Cor., XII, 4-6:

*Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Hæc autem distinguuntur, quatenus gratia gratis data solum importat actum manifestativum fidei; ministratio vero seu ministerium dicitur auctoritatem exercendi aliquem actum in ordine ad alios, ut episcopatus et quæcumque prælatio; operatio autem est executio ministerii.

*Petes 3<sup>o</sup> quæ gratiarum sit excellentior: an gratis data, an gratum faciens?*

*Resp.* gratiam gratum facientem esse excellentiorem, Apostolo, loco citato, post enumeratas gratias gratis datas, dicente, 31: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Etenim gratia gratum faciens hominem Deo immediate conjungit, dum gratia gratis data facit tantum ut alii disponantur ad conjunctionem cum Deo; unde, quamvis hæc posterior ordinarie justis concedatur, in peccatoribus tamen et pravis hominibus esse potest, si ita expedire Deo videatur. Porro conjunctione cum Deo, quæ immediate per gratiam gratum facientem efficitur, nihil est præstantius.]

#### ARTICULUS IV

*Utrum detur in hoc statu naturæ lapsæ gratia sufficiens?*

[Exponenda sunt primo varia systemata circa gratiam sufficientem et efficacem.

1<sup>o</sup> Jansenius distinctionem inter statum innocentiae et statum naturæ lapsæ in eo sitam esse finxit, ut in priori non fuerint nisi gratiæ sufficientes, pendentes ab Adami voluntate, in posteriori autem non sint nisi gratiæ efficaces absolute hominis voluntati dominantes. Ex quo principio non agnoscit aliam causam necessitatis gratiæ inhærentis in præsentis statu, nisi infirmitatem naturæ corruptæ et vulneratæ per peccatum. Hæc gratia nihil aliud est

quam delectatio spiritualis, seu motus indeliberatus quo delectatio cœlestis nos impellit ad bonum, sicut cupiditas est motus indeliberatus terrenæ delectationis quo ad malum impellimur: unde, secundum quod una vel altera delectatio est superior, fit victrix, et nos necessario rapit vel ad bonum vel ad malum. Non negat quidem Jansenius, in statu naturæ lapsæ dari homini parvas gratias quæ eum utcumque movent ad bonum; sed, cum in ejus systemate vis gratiæ sit relativa ad cupiditatem, hæc gratiæ, quibus homo resistit, nec sunt nec possunt esse sufficientes, quia non conferunt veram et expeditam potestatem ad superandam cupiditatem contrariam. Consequenter non agnoscit Jansenius, in præsentī statu, aliam gratiam sufficientem præter efficacem, quæ dando agere, dat simul posse, quia imo dat posse, quia dat agere. Vide supra, *de Actib. hum.*, dissert. II, a. 1, quid libertas auctori huic videatur esse, secundum suam doctrinam.

+ 2<sup>o</sup> Schola Thomistica, post suum Doctorem, sequentia profitetur: 1<sup>o</sup> Duplex gratia, sufficiens scilicet et efficax, necessaria est in omni statu. Prior est minus perfecta et minus valida, quæ dat tantum posse, reddendo hominem aptum actui supernaturali; posterior est potentior et validior, quia confert actionem. Potentia enim agendi et actio sunt duo entia distincta in ordine tam supernaturali quam naturali; homo autem est causa secunda subordinata primæ, in agendo ex se indifferens et indeterminata ad agendum vel non agendum, et ex se incapax, præsertim viribus ejus peccato debilitatis, efficiendi ullum actum supernaturalem et meritorium salutis.—2<sup>o</sup> Gratia sufficiens omnibus datur, id est salus cuique offertur; gratia efficax aliquibus tantum confertur, nimirum ex duplici voluntate quæ est in Deo relative ad hominum salutem, antecedente scilicet et consequente, de quibus fuse actum est in tract. *de Deo*, dissert. VII, *de voluntate Dei*, art. 3 et 4.—3<sup>o</sup> Utraque gratia est absolute gratuita; utraque enim voluntas Dei circa salutem hominum est merus effectus ejus infinitæ misericordiæ, prorsus independens ab eorum meritis.—4<sup>o</sup> Gratia efficax talis est ex se et ab intrinseco,

(1) *antes bien*

hoc est, ex omnipotentissima Dei voluntate, et non fit efficax ex consensu liberi arbitrii, qui est semper effectus et nunquam causa hujus efficacæ; ita ut semper sit verum dicere a priori, Deo hominem consentire, quia gratia est efficax, nunquam vero ideo gratiam esse efficacem, quia homo consentit; alioquin Deus non esset causa prima et immediata hujus consensus, et consequenter salutis.—5<sup>o</sup> Ex hac efficacæ nullum infertur libertati præjudicium. Cum enim Dei omnipotentia se extendat ad omnia entia et ad omnes differentias ac modos entis, motio quæ ex illa profluit confert, non solum actionis substantiam, sed etiam modum quo fieri debet conformiter ad naturam causæ secundæ; ita ut, si causa sit necessaria, moveat ut necessario agatur, si causa sit libera, moveat ut agatur libere, et sublata dumtaxat indifferentia passiva, integram relinquit indifferentiam activam, hoc est veram et completam potentiam, iisdem stantibus circumstantiis, non agendi, illi resistendi, oppositum faciendi, non secus ac si sola voluntas se determinaret. Require que abunde dicta sunt circa hanc gravissimam materiam in tract. *de Deo*, dissert. VIII. \*

3<sup>o</sup> Multum a doctrina Thomistica discrepat systema Congruistarum. Ludovicus Molina, celebris Societatis Jesu theologus, et a quo dicuntur Molinistæ ejus sequaces, docuit non dari gratias nisi sufficientes ex se, eas autem fieri efficaces ex consensu voluntatis humanæ, Deumque sæpe conferre iis qui resistunt gratias fortiores et abundantiores quam iis qui reipsa convertuntur, prædestinasse autem ad regnum quos per scientiam mediam præsevit ex innata libertate gratiæ omnibus oblate consensuros et in ea perseveraturos. Hæc scientia media fuit explosa in tract. *de Deo*, dissert. VI, art. 6. Cum doctrina Molinæ multis nova appareret et displiceret, eam impugnarunt, inter alios, insignes ejusdem Societatis theologi, quorum præcipui fuerunt Bellarminus, lib. I *de Gratia et libero arbit.*, c. 12, Henriquez, in duplici censura data annis 1594 et 1597, et Mariana, *de Regimine Societ.*, c. 4, et parum abfuit ut censorio sanctæ Sedis judicio conficeretur, post-

quam solemniter trutinata fuit in congregationibus *de Auxiliis*, ut narratum est in dissert. supradicta, § 6. Societas ergo hujus authoris systema temperavit, et suis alumnis præscripsit ut *gratiæ congruæ* systema a P. Suarez traditum tenerent.

Porro, in theoria Congruistarum gratia est duplex: Prior est *incongrua*, sic dicta quia non est satis accommodata indoli, inclinationibus, loco, tempori, aliisque conditionibus et circumstantiis in quibus versatur is qui eam recipit, ut ab eo consensum obtineat, et ideo non est nisi sufficiens. Posterior est *congrua*, quia ita est accommodata conditionibus et circumstantiis in quibus constituitur is cui datur, ut ab eo consensum obtineat; unde semper est efficax, alias non esset congrua. Hanc ergo infallibilem efficaciam non habet ex se, ut volunt Thomistæ, sed, secundum aliquos ejus assertores, ex sua congruitate, juxta alios ex ipsa præscientia divina (quod reducitur ad scientiam mediam), aut ex utraque simul. Hujusmodi gratia, quantum ad esse physicum, nihil amplius habet, ex parte Dei, quam gratia incongrua; habet autem aliquid amplius quantum ad esse morale, quatenus scilicet Deus, ex speciali benevolentia, eam alicui confert in iis circumstantiis in quibus certo prævidit ipsum consensurum esse, cum posset eam aliter conferre. Unde affirmant Congruistæ, talem gratiam majus esse beneficium quam gratia incongrua, et ab ea distingui, non solum quantum ad actum secundum et ex parte creaturæ consentientis, sed etiam quantum ad actum primum et ex parte Dei.

4<sup>o</sup> Theologi qui dicuntur Augustiniani, quantum ad statum naturæ integræ consentiunt puris Molinistis, Thomistis vero quantum ad statum nature lapsæ, excepto quod necessitatem gratiæ per se efficacis repetant ex sola infirmitate naturæ, dum Thomistæ eam insuper repetant ex dependentia causæ secundæ a prima, et ex ejus indifferentia.

5<sup>o</sup> Omnes theologi qui systema vel Molinæ, vel Congruistarum, seu scientiam mediam, non admittunt, stant pro systemate gratiæ per se efficacis quoad substantiam,

dissentiunt autem inter se dumtaxat quoad modum explicandi hanc efficaciam. Quidam enim eam explicant per sympathiam, quidam per motiones morales, quidam per delectationem, quidam per actus indeliberatos, quidam per solum divinum decretum, quidam per multiplicationem auxiliorum, quidam tandem per præmotionem physicam, quæ in schola nostra admittitur.

6<sup>o</sup> Est aliud singulare systema olim propugnatum ab Alphonso Le Moine, et postea ab Honorato Tournely suscitatum, de gratia sufficienti sensu moliniano ad facilia opera, præsertim ad orationem: quasi vero oratio christiana, omnibus suis conditionibus stipata, qualis debet esse ut fiat impetratoria, non sit opus difficile et præstantissimum salutis, possitque subtrahi dignationi gratiæ. Hoc ergo systema revocari debet ad Molinismum, iisdemque argumentis impugnatur.

His itaque præmissis,]

Dico: Præter gratiam efficacem, datur in statu naturæ lapsæ gratia sufficiens. Est contra Jansenium, nec videtur salva fide posse negari.

*Probatur.* Gratia sufficiens est quæ dat posse facere bonum salutare, etiam in iis qui illud non faciunt, seu quæ dat facultatem sancti operis, sed effectu carentem culpa voluntatis creatæ. Atqui datur hujusmodi gratia in statu naturæ lapsæ. Ergo. — Major est notio gratiæ sufficientis, prout eam intelligimus. — Prob. min. 1<sup>o</sup> De fide est mandata Dei esse possibilea justis, qui tamen illa non implent, ut definitum est a concil. Trid., sess. vi, cap. 11 et can. 18<sup>1</sup>, et a summis Pontificibus in condemnatione primæ propositionis Jansenii. Ergo datur eis gratia quæ possibilea fiant; non enim eis sunt possibilea viribus naturæ, præsertim cum inter ea sint supernaturalia: et hæc gratia non est efficax, quia, ut suppono, ea non implent. Ergo sufficiens.

1. Can. 18: « Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilea; anathema sit. »